



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quàm diù duret remissio peccatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ricordia Dei ac meriti Christi, non operis operati.
Et sic gloria soli Deo seruatur. Psalm. 113. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et Lucę 17. Nos serui inutiles sumus: ipse totum dat & promittit operibus, ab illo totum procedit. Quod autem beneficium Dei nobis sic distribuitur, ex merito Christi est, non ex merito & dignitate operum nostrorum. Ipse promittit & donat eam dignitatē operi, quod per illud tanquam per medium, distribuit beneficium. Opus ipsum ex natura non habet, ergo Deus remittit & dat vitam. Vt igitur frequens occasio nobis esset quærendi largam Dei beneficij Christi distributionem, alligat illam nunc fidei, nunc sacramentis, nunc orationi, nunc ieiunio, eleemosynæ, obseruantię proceptorum, &c. Non vt illa sint causa & fons distributionis, sed Deus sic largus, sic diligens nos, vbique offert occasionem, vt pulsemus ac accipiamus per hæc media Christi thesaurum. Ipse Deus dat & distribuit per hæc media. Media enim hoc non efficiunt, vt dictum est.

3. Quoniam verò Christus adhuc est in mundo, imò dicit: vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, Matthæi ultimo, ergo & hodiè quærit saluos facere peccatores per verbum suum, per quod vocat ad pœnitentiam. Igitur remissio & promissio vitæ, durat & efficax erit vsque ad diem nouissimum propter Christum. Igitur non semel, sed septuagies septies, Matthæi 18. id est, toties quoties opus fuerit, vult remittere peccatum, & quotidie iubet orare dimitti nobis debita, non semel, Matt. 6. Ideò sicut solius ordinatione Dei stabit in cœlo vsque ad vltimum, ita promissione Christi qua vult esse vobiscum vsque ad consummationem seculi, durabit remissio peccatorum, modo nos pœniteamus, & redeamus ad Christum, qui pronior est ad miserandum, quàm nos ad pœnitendum.

CAPVT